

lelis schematibus videri potest. Rursum enim, quia Terra in conspectu Saturni (quasi quiescentis, quia tardior est) in orbe suo circumit, à Saturno recedens & accedens: existimant incolæ, Saturnum in epicyclo suo circumire, accedere, recedere, se verò in centro orbis sui quiescere. Circulum igitur *A B* putant esse epicyclos *g, i, l*. Item propter telluris hunc eundem accessum ad Planetas & recessum in orbe suo, videntur nobis ipsæ quinque planetarum latitudines aliquã varietatem accipere; quam librationem vt saluaret Ptolemæus, necesse ipsi fuit quinque alios motus statuere: qui omnes, posito vnico telluris motu cadunt.

Et quamuis hi omnes motus, vndecim numero, è mundo exterminati sint, substituto hoc vnico terræ motu: nihilominus adhuc aliarum plurimarum rerum causæ redduntur, quas Ptolemæus ex tam multis motibus reddere non potuit.

Nam pri nò à Ptolemæo quæri potuit, qui fiat, quòd Eccentrici tres Solis, Veneris & Mercurij habeant æquales reuolutiones? Respondetur enim, quòd non verè reuoluantur ipsi, sed pro ipsis vnica terra. 2. Quare quinque Planetæ fiunt retrogradi, Lumina-ria non item? Respondetur primò de Sole, quia is quiescit: vnde fit, vt motus terræ, qui semper directus est, ipsi Soli merè & imperturbatè inesse videatur, tantùm per partem oppositam cœli. De Luna verò, quia motus Terræ annuus, ipsius cœlo verè communis est cum terra. Duo autem quæ habent eundem motum per omnia, videntur inter se quiescere. Vnde motus Terræ in Luna non sentitur, vt in cæteris planeris. De superioribus Saturno, Ioue, & Marte respondetur: Quia ipsi sunt tardiores terra: & quia circulus & motus iste Terræ putatur ipsis inesse. Quare sicut illis, qui ex *L* Saturni globo prospicerent, Terra interdum progredi videretur, dum iret per medietatem *P B N* supra Solem: interdum regredi, dum iret per *N A P*, stare verò in *N* & *P*: sic necesse est, vt nobis ex terra prospicientibus Saturnus volui videatur in partes oppositas. Vt dum est terra in *B N A*, Saturnus videtur in *b n a* alterius tabulæ. Inferiores Venus & Mercurius ideo regredi videntur, quia sunt velociores terra; vnde perinde ac si terra staret immota, Venus, currens in parte circuli remotiori, contrariam planè describit viam illi, quam conficit in parte circuli sui vicina terræ.

C

3. Ita